





1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.





DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS

DE

SUBINFEV-  
DATIONE,

QUAM

SUB PRÆSIDIO  
SACROSANCTÆ ET INDIVIDUÆ  
TRINITATIS

*Ex Decreto & Auctoritate*

MAGNIFICI, NOBILISSIMI, ET  
AMPLISSIMI ICTORUM COL-  
LEGII IN INCLYTA ARGENTORA-  
TENSIVM UNIVERSITATE.

Pro Consequendis summis in utroq; Jure  
honoribus insigniis & Privilegiis  
DOCTORALIBUS.

*Publico & solenni Examini submitte*

SIGISMUNDUS HORLACHER,  
SUEVO-HALLENSIS.

*Ad diem 17. Mensis Octobr.*

IN AUDITORIO MAIORI.



ARGENTORATI,

Typis Hæred. SEBASTIAN-NICOLAI HETSTEDT,

ANNO clō 18CLIX.

362.

1659, 10.

~~1659, 10.~~

us

ngã-  
t.





207.

# VIRIS

*Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis,  
& Prudentissimis.*

DNN.

Consulibus, Quinqueviris cæte-  
risq; Inclytæ & liberæ Reipublicæ Hallensis.  
Assessoribus ac Senatotibus,  
Patriæ Patribus.

*Dominis Mæcenatibus & Patronis  
omni observantia cultu. venerandis*

Disputationem hanc in-  
auguralem.


*Debita gratitudinis ulterioris Patro-  
cini & benevolentia prome-  
tenda causa*

inscribit

*devoq; offert.*

Sigismundus Horlacher.





I. N. D. N. I. C.

*Prefatio.*

**G**Ravis est Practici insignis Ferrariensis in præfatione suæ aureæ praxis admonitio. Quanta dementia est, supervacanea discere in tanta temporum egestate, & ex hoc tempore, quod nec sufficere ad necessaria, quidem potest, etiamsi diligentissimè custoditum fuerit, majorem, in supervacua erogare. Quibus & ego inductus, impetrata ante aliquot septimanas ab Amplissimo consultissimoque Ictorum Illustris hujus Academiæ Collegio, ad obtinendum summos in jure honores, disputandi licentia, thema quodpiam publicæ disquisitioni subjecturus, tale unde non exigua utilitas hauriri posset, disputationis loco proponere constitui. Quamvis verò omnes Juris civilis partes ad summam reip. utilitatem oportunitatemque pertineant, nullum tamen in iis locum de feudistractatione præstantiorem esse ait Hottomannus, quæ tum utilitate, tum rerum ibi obviarum gravitate nulli alii juris parti cedat. Quapropter & ego nullam laboris jacturam me facturum arbitratus, si exiguum mihi concessum temporis spatium tractationi materiæ alicujus ex jure Feudali de sumptæ impenderem. Placuit itaque subinfeudationem eligere, ejusque delineationem pro virilià me institutam benevolæ eruditorum censuræ

A

hac





2.  
hac vice submittere, ab iis, si quo in puncto tristi illo  
ex l. 3. §. 13. & 16. C. de V. I. E. humanæ naturæ imbecillitatis  
privilegio usus à veritatis tramite aberravero, aut ali-  
quid tractandum prætermisero, melius informari de-  
siderans.

### THESIS I.

Tractatio  
verbalis.

**Q**uanquam in omni tractatione instituta præ verbis po-  
rior rerum veniat habenda ratio. *Gæd. ad rubric. ff. de V. S.*  
cum verba rebus, non res verbis deservire debeant *c. hu-*  
*mane aures II. Can. 2. 2. quest. 5. Gail. 1. O. 150. n. 6.* tamen, quia ea signi-  
ficandarum rerum gratia potissimum sunt inventa ac in ipsarum  
rerum perceptionem nos provehant, teste *Scalig. Exerc. 1. sect. 1.*  
ita & ego *Ulpian. imitaturus in l. 1. pr. ff. de I. & I. l. 1. §. 1. ff. de pact.*  
*l. 1. ff. de furt.* antequam ad materiæ susceptæ tractationem ipsam  
accedam, paucissimis præcognitionem termini præmittam. Illa  
autem absolvetur in definitione, quæ vel nominalis vel Realis,  
sub Nominali comprehendo Etymologiam synonymiam & Pa-  
ronymiam.

Etymolo-  
gia.

### II.

Quoad Etymologiam notandum, Feudistas multas habere  
loquendi formulas ab usu Latinorum abhorrentes, licet igitur  
& sub feudi vox ex suo primitivo minus latina videatur, usus ra-  
men gratiâ à *Dd.* retinetur, & sic subinfeudatio derivari potest,  
à præpositione *SUB*, & verbo *INFEUDATIO*, quemadmodum  
enim illa dictio *SUB* inter alios significatus secundum *Tusch.*  
*pract. concl. tom. 2. lit. D. concl. 180.* subjectionem quandam, & ex-  
emplo substitutionis suppositionem denotat. Ita etiam subin-  
feudatio naturaliter quodammodo supposita videtur infeudatio-  
ni, sic ut hac non prævia, de illa satis plenè constare non possit.

Synony-  
mia.

### III.

Synonymæ subinfeudationis & subfeudorum appellationes  
apud Siculos sunt *Excadentia* *Intrigl. q. 53. n. 223. cent. 1. Got.*  
*Ant. disp. feud. 9. th. 2. lit. A.* Galli subfeudum appellant *arrierfief*,  
*un fief tenu par moyen*, *Retrofeudum*, *Chassan. in Consuet. Burg.*  
*Rubric.*



3.

Rubric. 3. tit. de feud. §. 1. Gortof. ad tit. 4. F. 1. §. Rursus lit. D. Et feudum  
 Mediatum fortè quòd mediante vasallo priori à secundo, vel ul-  
 terioribus possideatur Knich. de Saxon. non prov. iur. c. 6. dicitur  
 quoque feudum subalternum Ros. c. 9. concl. 43. n. 1. & subalterna-  
 tum, vel etiam uno nomine subbeneficium, Frecc. de orig. Baron.  
 p. 14. n. 44. Nonnulli nostratum subinfeudationem efferunt  
 per vocem affterlehen / Besold. thes. Pract. sub hac voce Finckelth.  
 disp. feud. 9. contr. 1. illa tamen potius subfeudo ipsi, quàm subinfeu-  
 dationi convenire videtur, quæ rectius ein affterlehens verlei-  
 hung / oder affterlehenschaft dici potest Wilhelm. Anton. ad Kohl. de  
 subfeud. c. 1. n. 31.

IV.

Synonymiam Excipit Paronymia, Ab hac autem voce in Parony-  
 flexa sunt & descendunt alia nomina, ut subfeudatarius ita dictus, mia  
 quod habeat feudum à primo infeudato ad exemplum eius, qui  
 est subinstitutus ab inquilino principali, & dicitur subinquilinus  
 vulgò ein afftermiedling. Tusch. pract. concl. t. 4. l. 1. concl. 143. vel et-  
 iam subcliens Knich. d. l. Dicitur quoque sic investitus, subvasal-  
 lus vel subinvestitus affterlehnmann / vel ut Belgæ loquuntur  
 Achterlehenmann / Besold. thes. Pract. all. l. quasi substitutus in lo-  
 cum vasalli principaliter à Domino investiti, quique ad ipsum  
 Dominum respectum habet, sicut substitutum à Mandatario vel  
 Procuratore Principali affteranwalden appellari consuevit. Ol-  
 dend. de act. benef. laudatus à Spiegel. in Lexic. iur. Civ. A Freccia no-  
 minatur subbeneficiarius, ab aliis vasallus minor aut sub alter,  
 nus etn Lehenschult / Wehner. pract. obs. voc. Aßung ablager / sic  
 descendit quoq; subinfeudare, h. e. alium de feudo investire einen  
 zum Affterlehen ansetzen G. A. disp. feud. 6. th. 2. Gemmel in compend.  
 iur. feud. p. 9. rubric. subinfeudatio ein Affterlehen geben.

V.

Definitionem Nominalem sequitur Realis, licet autem Tractatio  
 subinfeudatio variè definiatur, mihi tamen communior retinen- Realis  
 da videtur, quod sit Actus, quo vasallus totum vel partem Definitio.  
 feudi alteri æquali vel meliori, iisdem legibus & pa-  
 ctis, quibus ipse habuit sincerè concedit.

VI.

Et hæc de definitione tam Nominali quàm Reali, venit  
 A 3 Ulterior dispositio.  
nunc





4.  
nunc infeudatio consideranda vel ut constituenda, vel ut consti-  
tuta, illa in causarum indagazione consistit, quarum aliqua sunt  
externae, aliqua internae. Externae sunt efficiens & Finis. Effi-  
ciens vel Remota vel Propinqua.

VII.

Causa effi-  
ciens Re-  
mota.

Ad causam efficientem Remotam, jus Feudale antiquum  
juxta *Obrecht. l. 3. c. 10.* hucusque non abolitum, seu quod perinde  
est, consuetudo merito refertur. Postquam enim feuda fuerunt  
introducenda, usu mox invaluit, adeoque de natura feudorum esse  
cepit ut eadem vel in totum, vel pro parte aliis in feudum daren-  
tur quod feudorum placita satis testantur 1. *F. 4. §. 6. 2. F. 26. §. bene-  
ficium 2. F. 3. §. 1. 2. F. 9. 2. F. 34. §. 2.* Ita ut etiam non accedente  
Domini consensu & voluntate ea permissa dicatur *Kohl. de subf.  
c. 1. Besold. p. 3. conf. 108.* Quod diversitas illa graduum, quo vasalli  
à se invicem in jure nostro Feudali discernuntur aperte etiam e-  
vincit, dum Duces, Marchiones, & Comites, qui ab Imperatore  
feudum possident, Capitanei Regni dicuntur, qui feudum dant  
Minoribus vasalibus, & hi porro vasalibus 1. *F. 1. 15. 2. F. 10.  
Schrader. ac Feud. p. 4. c. 1. n. 55.* ut de experientia ipsa taceam, ob quam  
subinfeudationem in dubium vocare, foret absurdum *Christin.  
vol. 1. decis. 185. vult. 1. F. 10. 79.*

VIII.

Etsi verò in tot juris feudalis locis eam vasallo permissam  
esse proditum sit, nihilo tamen minus & olim extitisse patet, qui  
eam illicitam à Constit. Impp. 2. *F. 52. §. 55.* profus improbatam  
& abolitam esse statuerent, teste *Camer. in repet. c. Imperialem p. 12.  
praecipue Hottom. tum in Comment. s. not. ad illos locos singulos, praeser-  
tim ad d. Const. Friderici, verb. colore investitura, tum in disput. feud. 37.*  
Et quamvis de ratione hujus juris constituti aut recepti quidam  
non immeritò dubitent, hisce inducti, quod subinfeudatio dica-  
tur alienatio 2. *F. 3. §. 4.* quod proficiatur ex benevolentia 2. *F. 23.*  
& quod Domino alius non debeat obtrudi vasallus 2. *F. 12.* unde  
& *Curt. Jun. in tr. feud. p. 4. n. 83.* scribit, sententiam illam, quòd sub-  
infeudatio vasallo permissa sit, esse quidem ab omnibus approba-  
tam, sed tamen mirabilem, quia ex tali infeudatione transfera-  
tur utile Dominium, & generaliter prohibita alienatione videri  
etiam prohibitam infeudationem & *Iul. Clar. in Recept. sent. §. feu-  
dum*



*dum q. 32. n. 1. profiterur, se haecenus sufficientem rationem exceptionis reperire non potuisse: Alii verò inter quos vultejus l. F. 10. n. 85. rationem eorum quæ in usibus feudorum reperiuntur anxie nimis disquirere non operæ precium existimantes, pro ratione sufficere putant, quòd in consuetudinibus Feudalibus receptum sit c. 1. §. filii nati, ibi: quamvis ratione improbetur, ex usu tamen admittitur 2. F. 26.*

## IX.

Hiscæ tamen non refragantibus (præterquam quòd propterea jus constitutum aut receptum negandum non sit, nec eo modo aut sine ratione juris inquirere debeamus, ut non inventâ aliquâ idoneâ ratione, jus ipsum negetur, cum alioquin multa ex his quæ vera sunt, subverterentur. l. 21. ff. de leg.) subinfeudationem neque menti Imp. Lotharii & Friderici contrariam, neque alia ratione planè destitutam esse censeo, cum enim vasallo vi utilis Domini quòd in re feudali acquirit 2. F. 8. minus plene alienandi facultas, ita scil. ut jus ipsum feudi à Domino ipsi concessum retineat, æquè ac alii juris illius effectus, competat, eaque hoc saltem modo temperata sit, ne vasallus alienationem subdolanam & callidam facere in animum inducat, talis verò subinfeudatio non sit, ad illam minus aptè prohibitio extenditur. Et quòd contra rationem prohibitæ alienationis non sit, ex sequentibus apparebit, dum eam ita fieri dicemus, ut subinfeudans nihilominus utile aliquod Dominium nimirum superius retineat, cujus intuitu adhuc Domini vasallus, illique ad fidem & servitia obligatus maneat, 2. F. 59. §. insuper.

## X.

Major verò in eo subest dubitatio, utrum per pactum expressum in investitura de non alienando, subinfeudandi quoque facultas adempta censeatur. Et quamvis Negativæ communis Interpp. Schola subscribat Bald. in c. 1. §. Prætereant. 3. de Capit. Conrad. ibid. Alvarott. n. 4. Schrad. ac Feud. p. 8. c. 2. n. 80. Ros. c. 9. concl. 46. n. 8. Kohl. de subf. c. 3. n. 2. Huic tamen Doctorum Placito parum alii deferunt, quorum vestigiis & ego potius inharere, quam prior sententiam amplecti malo, ex eo fundamento, quòd pactum illud ad alienationem feudi sit directum, cum verò subinfeudatio alienatio non sit, imò potius in jure Feudali ab ea secernatur,

A 3.

sequi-





sequitur ad hanc illud frustra extendi, siquidem generali pacto non continetur jus illud quod specialiter alicui concessum, sed expressam conventionem requirit. l. 4. §. *quæsitum ff. si quis caut. iudic. sist. caus. fact. non obt.* in primis quia in præsentī casu tam facile fuisset exprimere speciem quàm genus, unde meritò pactum illud ex jure potius interpretandum, ad quod contrahentes respexisse præsumuntur, quàm subinfeudationem illo pacto prohibitam esse dicendum, cum infrequens non sit, ea etiam quæ jure sunt definita, in contractu exprimere, ut negotium omni sui parte tanto tutius appareat, legis & hominis voluntate id moderante *Vultei* 1. F. 10. n. 86. *G. A. disp. feud. 9. th. 2. l. B.* Et hæc principaliora sunt fulera, sat firma, quibus sententia à me relata innititur, plura equidem pro stabili mento illius, hinc inde à *Dd.* adducuntur, sed omnia ac singula hic recensere nimis foret prolixum. Iisque sic positis, tela licet prioris sententiæ Patroni contra hæc dirigant, parum tamen offendere poterunt si clypeo partim ex jam commemoratis, partim ab aliis allatis firmamentis, petito repellantur.

## XI.

Causa efficiens Propinqua.

Causa Efficiens Propinqua est voluntas vasalli, quæ in subinfeudatione principè efficiendi locum obtinet, subinfeudatio autem cum ad feudi concessionem reguletur, eiq; quasi subordinetur, itaq; quoad personas concedentium & acquirentium parum à feudo differre videtur, Cynosuræ igitur & Canonis instar habendum, omnes vasallos eorumque subvasallos habentes liberam rerum suarum administrationem subinfeudare posse. 2. F. 3. 2. F. 9. *Hartm. Hartm. pract. obs. tit. 54. obs. 3.* Adde ut & plebeis & rusticis 2. F. 10. §. *ceteri.* 2. F. 34. §. *similiter* *Vultei* 1. F. 3. 14. Imò & fœminis (quibus moribus Longobardorum, idè quod in perpetua fuerint tutela, feuda concedere erat prohibitum) mitigato illius juris rigore, aliisque officiis honestis in pace obeundis pro sufficientibus æstimatis, uti infeudandi, ita & subinfeudandi potestas censeatur permessa 2. F. 3. §. *fœminam ubi Alvarotti. Schrad. p. 1. c. 1. n. 39.*

## XII.

Non tantum verò vasallus, sed & subvasallus alium subinvestire potest, An verò deinceps ulteriores in infinitum; dubia est quæstionis. Pro Affirmativa quidem militat *text. in §. similiter* 2. F. 34. ubi *Dd.* Negativa verò fundatur 1. F. 1. §. *notandum* 2. F. 10.

Nec



Nec solum textus juris feudalis, sed & interpretum auctoritates hinc inde adductæ colluctantur, ita ut ad evitandam infinitatem, quidam in tertia, non autem in quarta persona subinfeudationem procedere asserant, *Obrecht. l. 3. c. 10.* Alii verò d. §. similiter secuti, in infinitum illam extendant. *Ros. c. 9. concl. 46. Schrad. l. 8. c. 2. n. 19. G. A. disp. feud. 9. th. 2.* Hæ duæ igitur sententiæ cum ex diametro invicem pugnent, & alterutri ita generaliter adstipulandum esse quibusdam non videatur, ideò *Bocerus in tr. de mod. amitt. Feud. c. 2.* hos textus & sententias inter se conciliaturus eam distinctionem adducit, quâ feudum Regale à non regali discernitur, in illo subinfeudationem in tertia persona inclusive admitti, in Mediolanensi verò curia illam etiam in quarta perfici potuisse asserit *1. F. 1. §. notandum*, in feudis verò non Regalibus, in infinitum illam procedere fatetur *2. F. 34. §. similiter.* Quæ tamen distinctione non obstante generali Dd. asserto ex d. §. similiter, deducto in hæreo cum *Ros. Schrader. d. l. Klokio tom. 3. cons. 133. n. 5. & seq.*

## XIII.

Et hæc hæctenus de prima causa externa nempe Efficiente, *Causa hinc* nunc etiam brevissimis altera causa sc. finalis, indigitanda potius nalis venit, quàm explicanda. Finem autem duplicem constituo, alium qui intervenit ex parte subinfeudantis, & alium qui ex parte subinfeudati. Ex parte illius, finis hic est, ut subvasallum sibi fidelem & ad servitia obstrictum habeat, *arg. 2. F. 23. §. ult.* Ex parte verò subinfeudati is esse videtur, ut feudo à subinfeudante concessio utatur, fruatur.

## XIV.

Aggredior nunc causas internas, quæ consistunt in materia Subjectū & forma. Materia est vel subjectiva, vel objectiva: subjectiva Recipiens seu subjectū Recipiens, sunt omnes personæ subinfeudationem accipere non prohibitæ, & ad serviendum idoneæ, & cum supra th. XI. dictum fuerit, regulariter eas personas quæ feuda dare & accipere possint, etiam subfeuda dare & accipere posse, quia subinfeudare sit de naturalibus infeudationis *Vultenus 1. F. 10.* ideò illa regula & hic repetenda, modò formale illud subinfeudationis requisitum, æqualitas & ad serviendum idoneitas, de qua infra uberius, attendatur & quamvis in concessione feudi ea non semper inspiciatur, sed cuivis nulla sexus, status, ordinis, æqualitatis

B

habita



habita differentia id concedere sit permissum, ratio tamen infeudationis & subinfeudationis in casu praesenti omnino videtur esse diversa, quoniam concedens, dat feudum de bonis propriis & est, quod sibi imputet personae minus aptae, id concessisse, aliud vero in subfeudo, quod ab alio dependet merito statuendum.

## XV.

## Objectum

Post materiam subjectivam agendum nunc de objectiva, ubi notandum, Regulariter quicquid concessum in feudum, etiam in subfeudum dari posse. *Schrad. p. 8. c. 2. n. 10.* nisi quod jure feudali & consuetudine exceptum reperiatur, quod igitur non exceptum, cur stare prohibeatur *l. 32. C. de Appell. l. 27. C. de testam.* Non distinguendum ergo cum quibusdam inter Feudum seculare & Ecclesiasticum, tum quia juris feudalis textus de subinfeudatione loquentes non distinguunt, sed generaliter disponunt, tum quod nec Ecclesiae conditio, deterior inde, sed melior redditur, cum iisdem conditionibus subinfeudatio fiat, quibus infeudatio ipsa, & ad servitia praestanda ut subinvestiens sic subinvestitus vasallus obligatus maneat *2. F. 34. & similiter. Bocer. de mod. admitt. feud. tr. 5. c. 2.* in iis vero rebus, quas Ecclesia ab aliis in feudum tenet, quaeque de mensa Ecclesiae, vel bonis tituli sunt, aliud obtinere plerique arbitrantur, illasque Praelatum alii subinfeudare non posse evincunt. *arg. l. F. 6. de quibus videatur Magnific. Dn. D. Tabor. Patronus ac Praceptor quondam meus nunquam sine honoris cultu nominandus in tract. de Oblig. Success. in offic. c. 6. n. 6. Kohl. in suo tract. c. 3. n. 11.*

## XVI:

Illam tamen generalitas etiam me movet, ut idem de feudo Regali asseram cum *Reinking. de Regim. sec. & Eccl. l. 2. cl. 4. c. 16. n. 55. Ros. c. 9. concl. 46. Sixtin. de Regal. l. 1. c. 8. n. 29.* cujus sententiae veritatem usus quoque comprobatur, *Paurmeist. l. 2. de Jurisd. c. 11.* Hodie enim Duces & Marchiones nonnulli sub se habent Comites & Barones ex subinfeudatione *auss. der Aelterlehenschaft* / ita quod ipsis Ducibus & Marchionibus comitatus & Baronatus ab Imperatore in feudum concessi, quos aliis deinde subinfeudarunt quemadmodum Comitatus Solimensis jure subfeudi à Comitatu Saynensi dependisse dicitur. Nec obstant argumenta quae pro Negativa stabilienda Kohl. adducit. Quibus ut brevissimis satis-



9.  
 satisfaciam ad primum, quòd feudum Regale à nemine nisi Imperatore conferri possit, Respondeo! Non quæri hic de feudo Regali primum constituendo, sed constituto ad alium transfendo, quantum ad illud, collationem illius originaliter quidem & radicaliter ab Imperatoris concessione dependere, cum ab Imperiali Majestate omnes dignitates profluant, exinde tamen subinfeudationem illius prohibitam esse non deduci, quia ratione juris & originis feudum Regale nihilominus à summo Principe conferri censeatur, quamvis factò ipso etiam ab alio fieri possit, itaque potius omnia jura, imò superioritatem ipsam transire tenendum, ex eo quòd subinfeudatio eadem prorsus lege & conditione, quâ infeudatio ipsa fieri dicatur, *Allermassen wie sie vom Reich ergangen. Pruckm. cons. 27. n. 20. Vietor. de Exempt. concl. 28.* Quibus sic positis, tales etiam subinfeudatos Comitatus Regalem dignitatem nihilominus, quamvis Possessores non immediatè, sed mediatè ab ipso summo Principe ejusmodi feuda consequantur retinere perspicuum est. *Sixtin. de Regal. l. 4. n. 57.* quod tamen Reink. non nisi cum hypothese dignitatis personæ admittit. all. 1.

XVII.

Nec quicquam refert alterum argumentum à Feudi Regalis prohibita divisione desumptum 2. F. 55. quòd sicuti dividi illud non possit, ita multò minus vel in totum vel pro parte subinfeudari: Cum neminem lateat, jus Longobardorum olim observatum 1. F. 8. 1. F. 1. notoriâ Germaniæ consuetudine mutatum esse *Besold. thes. pract. voc. Abgefundene Herrn. Schulz. synops. iur. Feud. c. 8. n. 26. Reink. l. 1. cl. 4. c. 17. Ros. c. 9. concl. 56. n. 5. Gail. 2. obs. 153. ibid. Grav.* juxta quam etiam Inclytæ hujus Academiæ Nobiliss. & Ampliss. Facultatem Iuridicam ad consultationem Illustriss. Dn. Dn. Comitum a. N. Respondisse videmus: Illa vero diversitas quam Kohl. d. l. effingit, inter successionem & subinfeudationem eò minus quoque subsistere poterit, quia rationes ad prohibendam subinfeudationem adductæ, non minus in successione si in æquales fiat partes sibi locum vindicant, successione enim admittis, divisionem quoq; admittendam esse consequitur, cum nemo invitus in communiione permanere cogatur *l. 26. ff. de S. P. V. l. 77. §. 2. ff. de leg. 2. &* quòd per successionem utilitas & dignitas

B 2

Impe-





Imperii potius, quàm per subinfeudationem diminuat, ex rationibus superius relatis elucescit, quod sub feudum non nisi certis conditionibus, eodemq; ferè modo quo feudum ipsum transferatur, nec alia inter illas nisi quoad personas diversitas intercedat, quæ tamen diversitas hic non attendenda, sed eâ ratione quòd melius sit imperium ampliare hominum adjectione, quàm pecuniarum copia. *l. cum ratio §. si plures, ff. de bon. damnat. subinfeudatio, quoque feudi Regalis potius roborari possit Finckelth. disp. feud. 9. contr. 1.*

## XVIII.

Non majoris est ponderis, tertia quæ affertur dubitandi ratio, quòd Dux, Comes, Feudum suum Regale subinfeudans in Effectu foret sine Ducatu & Comitatu, ac per consequens, dignitatem sibi à Principe concessam, titulo tenus potius, quàm re ipsa possideret, eamque ditione dignitati cohærente destitutus tueri vix posset, illa enim ex eo videtur profecta præsupposito, quasi dignitas Regalis unà cum Provincia transeat in subvasallum, terræque adhæreat, quod tamen assertum aliis ambiguum, imo falsum apparet, cum dignitas Regalis nihilominus vasallo revera maneat annexa, & à Ducatu, Comitatu bene possit esse separata, illique dignitati personæ cohærenti, Ducatus, Comitatus, potius ut signum aliquod accedere videatur, *Hun. de feud. p. 333. Sæv. disp. feud. p. 255. Carpzov. disp. feud. 7. th. 34. Ros. c. 9. concl. 44. & 55. c. 2. concl. 2. Obrecht. de F. l. 1. c. 5. Vulteius 1. F. 8. n. 10.*

## XIX.

De cætero fateri omninò oportet, magis proficuum fore, si Realitas territorii & jurisdictionis, ejusmodi semper dignitatibus responderet, ne illæ à territoriis separatae vilipendantur, & dignitas sine potestate & divitiis (in quibus tamen essentiam dignitatis consistere, falsò quidam opinantur) in contemptum abeat *Bberh. à Weihe tr. de suc. prar. q. 7. fac. 2. Feudistæ 2. F. 10. cum sine ditione, Duces & Comites sese habeant, tanquam fides sine operibus juxta Tiraquell. de Nobil. c. 25. n. 9. & ut Eques sine Equo, Episcopus sine Episcopatu, Abbas titularis in ordine S. Benedicti, Canonicus sine præbenda, Cardinales Revennæ Rex Scacchorum & divetot dicuntur. Nulla tenentes & in herba equites, per Frecc. de Author. Baron. tit. quis dicatur comes n. 34. q. d. Avant. juncter.*



II.

*Juncker Knich. de Saxon. iur. non prov. n. 228.* in quibus nomina potius videntur esse abusiva; quam cum juris Effectu, sic Principes & Comites, sine Principatu & Comitatu dignitatem diu tueri non possent, *Magnif. Dn. D. Tabor. in tr. de suffrag. c. 5. n. 16. Priuckm. 1. conf. 32. n. 10 Stephan. de lctione l. 2. c. 7. n. 58.*

XX.

Unde rectè huc referri potest Prudentissimum illud in capitulatione Ferd. III. Imperat. gloriosissimæ memoriæ art. 47. placitum, quod non alii dignitas Principis vel Comitis conferri ab Imperatore debeat. quàm illi, in quo tria concurrunt, meritum, domicilium in Imperio & opes ad splendorem dignitatis necessariæ *D. Lymn. in annot.*

XXI.

Hiscè verò tantum non tribuendum ut exinde subinfeudationem feudi Regalis prohibitam esse dicamus; cum enim vel ex *pr. d. const. 2. F. 55.* constet utilitatem Imperii præprimis hic considerari, & verò illam nequaquam hic minui constiterit; cur de aliis sollicitus sim; causa non apparet, quanquam nemo tam liberalis esse præsumatur, ut tantum in alios transferre velit; quo suæ dignitati tuendæ reliqua non sufficere possint: *l. 25. ff. de probat.* ut hinc nonnulli subinfeudationem potius permissam esse dicant, quòd homines ad eam non facile accedant, eadem ratione, quàm *Scutum Velleianum* obligationem tantum fœminarum, non etiam donationem irritam esse voluit, quia sc. facilius mulier sese obligare, quàm donare soleat. *l. 4. §. ult. ff. ad Scutum Vell.*

XXII.

Quid verò de decimis sit sentiendum? non minus est controversum, & communis est sententia, eum qui decimas ab Ecclesia habeat, de iis nullum alium investire posse, *per cap. prohibemus X. de decimis*, nisi aliam Ecclesiam *c. Apostolica X. de his que fiunt sine caus Curt. lun. p. 4. n. 87. Zas. l. 9. n. 17. Covarruv. l. 1. var. Res. c. 17. Schrad. p. 8. c. 2. n. 17.* eaque hac fundamento est suffulta, quòd jus decimarum sit spirituale & ad Ministrorum verbi Divini, & Scholarum sustentationem constitutum *c. pervenit c. 1. quest. 3. c. 7. extra de prescript.* Quamvis verò sententia contraria, quòd in Laicum aequè ac in Ecclesiam decimæ per subinfeudationem transferri possint, à multis quoque videatur recepta, ex eo, quòd

B 3

Laicis.





Laicis jus in iis antiquitus acquisitum, cui subinfeudatio ex feudorum natura fuit annexa, auferri non debeat aut possit, *Zaf. p. 9. Ros. c. 4. concl. 28.* Hactamen non refragante ratione, priori opinioni, praesertim si earum nulla alia sit ratio, quam ut inde sustentationi Ministrorum succurratur, tutius insisti arbitratur *id. Ros. all. loc. videatur quoque D. Reink. de Reg. secul. & Eccles. l. 3. cl. 1. c. 8. Carpzov. Jurispr. Consist. l. 1. tit. 8. def. 125.*

## XXIII.

Alia nunc succedit quaestio, An vasallus alium subinvestire possit, de Feudo, quod habet in Curte Domini? *Negativa quidem calculum adiciunt Alvarott. in c. 2 §. pen. & ult. n. 6. 1. F. 1. Schrad. p. 8. c. 2. n. 8. Obrecht. l. 3. c. 10. n. 8.* Affirmativam verò probant *Ros. c. 9. concl. 46. Bocer. de mod. amitt. feud. r. 5. c. 2. n. 33. Niell. disp. feud. 7. th. 8. Kohl. de subf. c. 3. n. 15.* cui ut veriori & firmiter rationibus subnixæ & ego subscribo, motus primò generalitate textuum, in quibus simpliciter, & absque ulla distinctione subinfeudatio sine Domini consensu vasallo conceditur *2. F. 3. §. sed, etiam res. 9. 26. §. beneficium,* cui regulæ generali exinde deductæ, tamdiu inhaerendum, donec Exceptio probetur. *l. 4. §. put off. de hered. inst.* tum etiam experientiâ, quæ vasallos de Feudis quæ in Dominorum territoriis possident alios subinvestire ostendit, & stante alias *Negativa etiam Imperii vasallus de feudo suo quod ab Imperatore possidet, alium subinfeudare prohiberetur, cui usus tamen contrarius resistit. Bocer. de invest. feud. c. 3. n. 129.*

## XXIV.

Forma.

Materiam excipit causa formalis, quæ tribus requisitis absolvitur 1. ut fiat personæ ad præstationem servitiorum feudaliæ æquè idoneæ, ejusdemque conditionis & qualitatis cum vasallo subinfeudante 2. iisdem pactis, legibus & conditionibus 3. syncerè sineque fraude, quæ tria requisita pro forma & quidem copulativè observanda esse communis obtinet *Interpp. & Dd. sententia,* cum enim subinfeudatio in tantum permessa, in quantum Domino nullum infertur præjudicium *2. F. 52. qui hoc fiet, nisi subfeudum concedatur personæ æquè aptæ, iisdem pactis, quibus vasallus ipse feudum accepit 2. F. 34. §. Profecto, ne forsitan eveniat, ut gratia subvasallo facta, servitiisq; remissis vasallus em-*



emolumento pariter ac adjumento destitutus, Domino inservire nequeat. *Hartm. Hartm. 2. obs. tit. 54. obs. 37. & deniq; sine fraude.*  
XXV.

Primum quod attinet requisitum ibi circa æqualitatem de terminandã non exigua est Dd. variatio. Quidam enim eandem qualitatem seu conditionem desiderant, veluti si miles feudum similiter militi in feudum concedat 2. *F. 34. §. similiter, ibique Jac. de S. Georg. Schrad. p. 3. c. 2. n. 13. Bocen. de mod. amitt. feud. tr. 5. c. 2. Carpzov. disp. 7. th. 29.* Quæ æqualitas eo sensu potest admitti, quòd servitia quæ vasallo incumbunt, non semper unius sint generis, alia enim Honoraria, alia judiciaria alia Militaria, quæ æquè concinnè à quovis præstari non possunt, quorum intuitu omninò par dignitas & qualitas in subvasallo requiri videtur, *Ros. c. 9. concl. 44.* Alii verò illam æqualitatem non à majoritate officii vel personæ, sed habilitate ad serviendum æstimant. *Obrecht. l. 3. c. 10. vult. 1. F. 10. n. 82. Zasp. 9. n. 15. Ros. d. l.* Quam interpretationem quoque omninò suadent *text. 1. F. 1. §. notandum 1. F. 14. 2. F. 10.* ubi disertè ostenditur, quòd Duces, Marchiones, Comites, de feudi sui parte, vel toto alium inferiorem subinvestire possunt, & quòd non omnimoda sed servitiorum saltem intuitu similitudo exigatur, non tam distinctio vasallorum, quàm olim illi ob dignitatis prærogativam à se invicem discernebantur, quàm etiam Consuetudo hodierna evincit: unde Receptum, ut Comites aut Barones de aliquo feudi sui pago, & Nobiles alios privatos itaque ratione personæ impares subinfeudent, *Ros. d. l. Speid. in Notab. Hist. Pol. voce Afferleben. Obrecht. l. 3. c. 10.* Sic etiam in majorem interdum feuda conferri solent à minore, illius tamen dignitati, cum vasallagium subjectionem non inferat, *Ros. c. 5. concl. 78. n. 5. & c. 6. concl. 85.* nihil decedit, eadem ratione, quàm quosdam Electores, Principes & Comites ab inferioribus statibus feuda tenentes, nullam præeminentiæ jacturam subire animadvertimus *Arnif. de Jur. Maiest. p. 130.* quo ipso æqualitatem non à paritate dignitatis æstimari expeditum redditur.

XXVI

Stante igitur hoc requisito æqualitatem & ad serviendum idoneitatem exigente, meritò illæ personæ excluduntur tanquam subfeudi incapaces, quæ diversæ sunt conditionis & ad præstanda servitia.





Servitia ineptæ. Tales autem prohibentur partim Naturâ, partim lege, Naturâ ob defectum corporis, ut muti, surdi, cæci, claudi, vel aliter imperfecti, sive natura tales sint defectus, sive ex accidenti 2.F.36. c.1. *Sonsb. de Feud. p.7.n.6.* Lege prohibentur, vel ob sexum, vel ordinem, vel denique; aliam adhaerentem qualitatem, per quam Domini conditio potest fieri deterior: Ratione sexus excluditur femina, ratione ordinis, clericus, has enim omnes cum servire nequeant, 2.F.36. & similis non sint conditionis, vasallus de feudo subinfeudare prohibetur, siquidem is à Domino requisitus per subvasallum servitia præstare solet, inidoneum ergo tum Domino obtrudi, iniquum foret 2.52. & 54. *Vulteius l. F.10. n.81. Borchold. de Feud. c.8. n.50. Carpzov. disp. feud. 7. th.29.* Qualitas verò illa adhaerens est difficultas conveniendi, quæ oritur tum à Privilegio, tum à potentia, & hanc quod attinet, etiam ii qui aliam licentiam alienandi feudum vel emphyteusin obtinent, in potentiores transferre nequeunt, ut de Feudo est text. 1. F. 14. §. in de potest, *Obrecht. l.3. c.8. n. 49.* de Emphyteusi verò loquitur *l. ult. §. si duorum C. de iur. Emphyteut.* potentiori enim pares esse non possumus *l.3. ff. de alien. iud. mut. causa fact.* nec semper commodum foret, vasallum longè potentiores habere, quem in officio continere non posset. *Ros. c.9. concl.44. n.6.*

## XXVII.

Potentioribus verò accensentur, ob insignia quibus fruuntur privilegia magnamque conveniendi difficultatem, Ecclesiæ, universitates, collegiaque nunquam moritura. *Cravett. conf. 205. n.44. Obrecht. l.3. c.10. n.7. G.A. disp. feud. 9. th. 2. Kohl. in tract. c.2. n.15.* unde etiam moribus & statutis locorum passim interdictum, ne immobilia & sic quoque feuda, quæ plerumque in immobilibus consistunt, in Collegia Clericorum, Ecclesias aut universitates, quæ manus mortuæ dicuntur transferantur, & ita Domino spes Eventuræ apertionis, per amortizationem quam vocant, adimatur, cum Ecclesiæ vel Monasteria hæredes esse non desinant, *l.F.13. & venerabiles domus maneat usque ad seculi hujus consummationem l. ult. C. de Episc. & Cler.* qua ratione contra utilitatem Reip. possessiones immobilium maxima ex parte à privatis abirent, *Gregor. Tholos. de Rep. l.3. c.7. n.40. Bod. de Rep. c.2. & hujusmodi statuta in Germaniæ pluribus locis vigere, eaque in Camera*  
Impe



Imperiali approbati & in iudicando observari testatur *Gail. 2. O. 32. n. 5. & seq.* & huic non absimile, quod in *l. 56. ff. de usufr.* dicitur, dubitatum fuisse, an municipibus s. municipio vel civitati alicui possit usufructus constitui, quod periculum esse videretur, ne perpetuus fieret, quia neque morte, neque facile capitis diminutione periturus esset.

## XXVIII.

Ad secundum nunc transeo requisitum, circa quod notandum, quod si vasallus eâ lege possederit, ut is & hæredes masculi id haberent, aliâ formâ & pacto nempe ut ad fœminas quoque perveniat, in subfeudum concedi non posse, cum eo ipso durior conditio apponi, feudumque tardius ad dominum reverti videatur. *Iul. Clar. in §. feudum quæst. 63. Obrecht. l. 3. c. 10. Kohl. de subf. c. 2. n. 17.* ubi Menochii contrariam opinionem, quasi nullum in Dominum redundet præjudicium textui *2. F. 34. §. profecto*, in terminis expresso, è diametro refragari demonstrat.

## XXIX.

Sed si contra hæcce peccatum fuerit, an vasallus felonix reus, atque feudo privandus sit, maximè quæritur? Et cum de hac quæstione à Feudista tres opiniones in *d. r. 34. lib. 2. F.* referantur Kohl in suo tract. & alii quos ibidem longo agmine adducit, asserere haud dubitant, feudum hoc casu non amitti, nec Domino aperiri, sed si adjectæ conditionis illicitæ casus extiterit, ipsam conditionem vitari, salva manente subinfeudatione, pro qua sententia stabilienda plura argumenta addit, quibus tamen non morantibus *Modest. Pistor. cons. 47. n. 13. Bes. p. 3. cons. 108. Schrad. p. 8. c. 2. n. 14.* in contrarium descendunt, & quod subinfeudatio, quotiescunque sub aliis conditionibus facta fuerit, in totum vitietur, feudumque amittatur, ad juris rationem propius accedere, ostendunt. Quamvis igitur & ego in hac opinionum varietate certi quidpiam asseverare vix audeam, cum verò ea quibus prioris sententiæ Patroni nituntur fundamenta, ita firma esse, ut iis tutò insistere liceat, non animadvertam, in hac magis confirmatus, cum *Hunnio Dn. Carpzov. Suevo.* eam si non argumentorum numero saltem pondere priorem superantem eò lubentius amplecti non dubito, hoc solo inductus, quod ex *§. 10. I. de inutil. stipul.* constet, toties contractum in totum vitari, quoties conditio illi-

C

cita





cita, vel jure improbata fuerit apposita, & regulariter etiam forma legis omissa, corruat actus *Barbos. in Axiom.* cum igitur hæc requisita pro forma observanda, ea neglecta, etiam ipsam subinfeudationem vitiari necesse, quò facit *l. 31. ff. & O. & A. §. profecto. 2. F. 34.* Nec quisquam urgent ea quæ in contrarium allata, quorum discussionem cum brevitatis & instituti ratio nunc non permittat, eorum enodatione supersedeo, actui disputatorio ea reservans.

## XXX.

Aliud verò dicendum, si vasallus arctiore lege subfeudum alteri concedat, nempe ut Feudū deficientibus masculis, ad fœminas aliàs transiturum, ad solos masculos perveniat, cum vasallus non quidem deteriore, at bene meliorem Domini conditionem reddere possit *2. F. 8. §. è contrario. Ros. c. 9. concl. 44. n. 24. Bocer. de mod. amitt. feud. 2. n. 22. Obrecht. l. 3. c. 10. G. A. disp. feud. 9. th. 2.* Nec impedit ea dubitandi ratio, quòd vasallus sine consensu Domini etiam conditionem ejus meliorem inde efficiendo, feudum alienare nequeat. Illa enim in alienatione prohibita procedit, propter textus juris feudalis in quacunque alienatione consensum Domini pro forma requirentis. Qua solennitate substantiali & forma omisâ, actus licet in commodum sit redundaturus, nihilominus irritus efficitur *l. 16. C. de prad. minor. l. 13. §. sed si adium. ff. l. 44. l. 7. §. fin. cum l. seq. ff. de usufr. c. 1. de Reb. Eccles. non alien. longè verò aliud in subinfeudatione jure permissa obtinet. Cuiac. l. 4. F. 8. Ros. d. concl. 44. n. 15.*

## XXXI.

Tertium subinfeudationis formale subsequitur requisitum, ut sincerè fiat, seu illud ipsum revera fiat quod agitur, non ut subprætextu subinfeudationis venditio aut alia jure prohibita alienatio celebretur *d. §. callidis 2. F. 55. 2. F. 26. §. beneficium. ibique Alva.* Unde non incommodè quæritur? An valcat & consistat concessio subfeudi, facta alicui pro pecunia; an verò censeatur in fraudem legis peracta? Posterius quidem volunt *Schrad. p. 8. c. 2. n. 15. Hartm. Pist. lib. 2. quæst. 14. n. 4. Besold. p. 3. conf. 108.* Vultius verò tum demum in fraudem factam præsumi, contendit, si precium interveniens dimidium justî valoris excedat, *l. 1. c. 10. 82.* de qua opinione quid sentiendum sit *Bocerus & Kohl.* latius explicant.

Con



Contrariam tamen sententiam, quod subinfeudatio pro pecunia facta omnino subsistat, ut veriore propugnant *Ros. c. 9. concl. 44. Obrecht. l. 3. c. 10. Hunn. tract. feud. 7. th. 8. Kohl. c. 2. Suevus disp. feud. 9.* quorum castra & ego lubens sequor, non solum effato communi, sed etiam textu juris Feud. adjutus 2. F. 3. §. 1. ubi de subinfeudatione mediante precio facta agitur, illaque valida & irrevocabilis ibi pronunciatur, nisi in fraudem Consuetudinis & Constit. Lothar. & Frider. 2. F. 52. & 55. facta videatur, in quibus Constit. verò, cum de alienatione illicita, callida & fraudulenta solum agatur, per quam Imperii & Domini utilitas minuitur, in subinfeudatione autem tale quidpiam metuendum non sit, nec causae prohibita feudi alienationis, huic applicari possint, cum alius Domino vasallus non obtrudatur, sed Dominus subinfeudantem vasallum ditioem & ad sustinenda servitia magis idoneum nihilominus retineat, ejusque conditio, salvis ipsi penes vasallum & subvasallum servitiis in salvo maneat, idem minus tutò ab illa ad hanc inferri apparet.

XXXII.

Synceritas in eo quoque vertitur, ut Domino jus suum integrum tectumque maneat *c. un. pr. vers. callidis. 2. F. 55. Duar. de Feud. c. 12. Obrecht. l. 3. c. 10. n. 18. G. A. disp. 9. th. 2. lit. B.* Si igitur vasallus se nullos hæredes habiturum desperet, alii subfeudum concedere ipsi non licet, quia talis concessio in fraudem & præjudicium Domini omnino facta censetur *Hartm. Pist. l. 2. quest. 44. n. 5. Tusch. pract. concl. tom. 3. l. F. concl. 190. n. 22.* ubi nec Papam hoc casu dispensare posse adijcit *Clar. in §. feudum quest. 32. n. 18.* Quod asseritur, quoque ad agnatorum jus, cui præjudicari non possit, extendit *Vultei. 1. F. 10. § 2.*

XXXIII.

Prædicta tamen hanc limitationem admittunt, si aliud statuto vel consuetudine Receptum non fuerit, sicuti *Klock. 3. cons. 133.* de inferiori Saxoniam testatur, ubi juri Feudali quoad hæc requisita derogatum esse refert.

XXXIV.

Visa hætenus subinfeudatione constituenda, ejusque requisitis formalibus expositis: consequens videtur, progredi ad constitutam, quæ considerari potest 1. Ratione Effectum 2. ratione

C 2 tione





**Effectus.** tione fori competentis. 3. ratione Affinium. 4. Contrario-  
rum. Effectus quod spectat, alii respiciunt commoda, alii onera,  
illa qui commoda respiciunt, consistunt vel in re vel in actione.

XXXV.

**Lucrativi:**

Quoad rem notandum i. subvasallum Dominium aliquod  
utile consequi. *Bocer. de mod. amitt. feud. c. 2. n. 41. Obrecht. l. 3. c. 10.  
n. 23. Coppen. Jur. Feud. obs. xv. §. n. 13.* Cui non officit quod Domi-  
nium penes duos in solidum esse nequeat, hoc autem hic fiat,  
dum vasallus subinfeudans, nihilominus manet Dominus ut ar-  
guit *text. 2. F. 55. §. illud ibi: vasallus vasalli. Dominum Domini sui of-  
fenderit, & simul etiam subvasallus Dominium nanciscitur, unde  
quidem plerique exinde argumento sumpto, penes subinfeudan-  
tem Dominium manere negarunt. Clar. in §. feudum quest. 31. in fin.*  
Alii verò nullatenus vasallum Dominio utili in totum quod ha-  
bet in re feudali respectu juris vasallagii sese abdicasse, sed omni-  
nò jus aliquod in quo vinculum fundetur & sustentetur, subesse  
evincunt, ex ea ratione quod alias secundus vasallus non se-  
cundum mansurus, sed uti in vera alienatione fiat, immediatè in  
locum primi successurus esset. Potius igitur illi ex eo, quod Do-  
minium non minus utile quàm directum diversis considerari pos-  
sit respectibus, ut aliud sit superius aliud inferius, remanente illo,  
hoc tantum ad vasallum transisse evincunt *Vultei. 1. F. 10. n. 84.  
Schr. ad. l. 8. c. 2. n. 24. Menoch. l. 3. præs. 102. Locam. quest. Jur. feud. 134.*  
Quod cum *Iac. de S. Georg. 2. F. 3. vers. sed quero:* minus arrideat.  
Ideo quidam dubitationis hujus tollendæ gratiâ ita distinguunt,  
quòd subinfeudans consideretur, vel in ordine ad primum con-  
cedentem, vel subinfeudatum; Ratione primi concedentis, illum  
dici utile habere dominium, respectu verò subinfeudati dire-  
ctum, vel ius tale quod directo dominio primi auctoris æquipol-  
leat. Nec inconueniens hoc esse propter diversas Relationes,  
quia dicta Regula supra opposita loquatur non tantum de domi-  
nio ejusdem speciei, sed etiam ejusdem relationis & respectus, &  
procedat si idem de eodem accipiatur, non ubi diversa militet  
consideratio *Hartm. Pist. l. 2. quest. 45. n. 2. Frantz. de Laud. c. 14.  
Knich. de Saxon. non prov. iure c. 6.* cum quibus in præsens transeo,  
cùm juxta eundem Knich. assertum hoc observantiæ, innitatur &  
quotidiano quoque usu comprobari, posse videatur, dum prin-  
cipe:



cipes bona, prædia, castra, aliis in feudum concessa vocant *vnser*  
*eigentumb* / cum tamen respectu, Imperatoris à cuius manu ac-  
 ceperunt, tantum utili fruantur Dominio.

## XXXVI.

II. Possessionem quoque tam naturalem quam Civilem  
 consequitur quod probant, tot juris feudalis loca, in quibus pos-  
 sessio, adeoque & naturalis & Civilis, quæ propria est illius voca-  
 buli significatio, uti in vasallum, sic quoque per consequens in  
 subvasallum transferri intelligitur; *arg. 2. F. 3. 7. 8. §. 2. 22. Rittersh.*  
*part. feud. l. 2. c. 2. quest. 2. Finckelth. disp. feud. 8. controv. 8. Carpzov.*  
*disp. 7. th. 4. Kohl. d. tr. c. 3. n. 5.* quæ possessio tamen ad tollendam dif-  
 ficultatem, quæ circa hanc versari solet, de ipso feudo, non de  
 jure ipsius feudi, quod apud subinvestientem omnino remanere  
 dicitur, intelligenda, cum enim is infeudando acquirat jus vasal-  
 lagii, recognitionis, servitorum, absurdum foret, omnem illius  
 juris ipsi denegari quasi possessionem *Bocer. de mod. amitt. Feud. c. 2.*  
*n. 40. Obrecht. l. 3. c. 10. n. 31.*

## XXXVII.

3. Sicut vasallo jus utendi fruendi re feudali competit 2. *F.*  
*23. vers. ususfructus*; Ita & illud quoque ad subvasallum transferri  
 dicendum. *Bocer. de mod. amitt. Feud. d. tr. c. 2. n. 18.* Ita ut non tan-  
 tum jus & facultatem percipiendi & suos faciendi fructus ex re  
 feudali provenientes, sed etiam alias liberam dispositionem con-  
 sequatur, in quantum nullum dispendium & præjudicium juri &  
 utilitati Domini exinde infertur 2. *F. 52.*

## XXXVIII.

Quoad Actionem: Datur subinfeudato utilis quoque Rei  
 vindicatio, quæ subinfeudanti competiit 2. *F. 8. §. Rei autem.* ad re-  
 petendam rem à quolibet possessore, eamque remediis tam peti-  
 toriis quam possessorii recuperandam, Ita ut si vasallus subinfeu-  
 dans, invito vasallo subinfeudato, in ejusque præjudicium feu-  
 dum refutaret, etiam tunc subinfeudatus modo Domino supe-  
 riori servire, ab eoque feudum recognoscere paratus esset, vel feu-  
 dum retinere, vel illud utpote absq; culpa ablatum remediis istis  
 consequi posset. 2. *F. 9. §. sin autem. vers. eo excepto. Bocer. d. tr. c. 2. n.*  
*165; Curt. tract. feud. p. 4. n. 85.*

C. 3i

XXXIX.





Effectus  
onerosi

Sequuntur Effectus onera respicientes s. onerosi, sicuti enim vasallo ipsi sua commoda & incommoda, quæ ratione feudi subit. *G.A. disp. feud. 7. & 9.* ita quoque & subvasallo ea incumbunt. Hinc fit ut 1. Investituram à Domino suo immediato legitimo tempore petere 2. F. 9. illique fidelitatis iuramentum præstare teneatur, 2. F. 3. *Kohl. d. tract. c. 4. Ros. c. 6. concl. 63. Vulteius 1. F. 10. n. 84. Freccia de subfeud. Baron. l. 2. art. 4.*

## XL.

Unde præcipuus etiam hinc dimanat Effectus, quòd subinvestitus efficitur vasallus non Domini senioris, sed vasalli subinvestantis §. *illud quoque 2. F. 55. G.A. disp. feud. 9. th. 2. Menoch. l. 3. pres. 102.* planè uti hominis mei homo, meus homo non est *l. 105. ff. & V.S. & liberti mei libertus, non est meus libertus l. 5. §. si quis ff. de agnoscend. & alend. lib. nec socius mei socius, socius meus est l. 20. ff. pro socio.* Et quamvis non desint qui subvasallum etiam Domini superioris vasallum esse censent, inter quos *Marin. Frecc. de orig. Baron. c. vidimus n. 46.* locum obtinet, præter alias rationes, etiam hac adducti, quòd res in subfeudum concessa, ratione cujus obligatio vasallatica contrahitur, à Domino seniore proficiscatur, eaque ad utrunque jure feudi perveniat, ideoque eo in casu, ubi prima causa non includat secundam, ibi semper primam inspiciendam. Hisce tamen nihil refragantibus quas etiam *Kohl.* in suo tract. latè refellit, priori assertioni insistendum arbitror, quo me inducit, non tam auctoritas communis opinionis, quæ alias non levis est arg. *l. 12. §. 27. ff. de instr. vel instrum legat.* quàm hoc præcipuum argumentum, quòd obligatio vasallatica oritur ex contractu feudali inter concedentem & accipientem inito, in quodum id agitur, ut acquirens ratione feudi concessi fiat vasallus concedentis 2. F. 2. *pr.* cum verò nullus inter Dominum primum & subvasallum contractus ineatur, neque hic vel primam vel secundam causam ab ipso habeat, sed ex contractu ex propria providentia cum immediato inito, sequitur omninò etiam præter intentionem vasalli hunc seniori non acquiri.

## XLI.

Quam assertionem tamen non absolutè intelligendam sed in quibusdam limitandam existimant *Knichen. de Saxon. non prov.*

iur.





*iur. c. 6. Schrad. p. 8. c. 2. n. 25. Obrecht. l. 3. t. 3. n. 7. Coler. conf. 52. n. 17.*  
 ut procedat quando sit vasallus vasalli mei ratione alterius rei  
*Schrad. p. 3. sect. 3. n. 134.* secus si ratione ejusdem rei, quam vasallus  
 à Domino mediato teneat, ut habetur in *c. Imperialem §. illud 2. F.*  
*55. Everhard. in locis à liberto ad vasall. n. 2.* illius enim intuitu et-  
 iam Domini mediati vasallum dici posse, saltem largè & impro-  
 priè, *Tusch. pract. concl. tom. 8. concl. 27.* ita ut juxta *d. §. illud quoque*  
*2. F. 34.* æquè ipsi reverentiam exhibere, nec minus ab offensio-  
 ne illius quàm Domini immediati abstinere debeat.

## XLII.

Hinc alia, quæ ratione aliorum Effectuum moveri solent  
 dubia, facili modo possunt resolvi. An nimirum subvasallus,  
 etiam Domino superiori ad servitia censeatur obstrictus. No-  
 tandum enim hic, quòd cujus quis vasallus non sit, ei nec servitia  
 tanquam vasallus præstare necesse habeat, cum necessitas servi-  
 tia præstandi vasallatica præsupponat præstantem, esse vasallum  
 ejus cui præstare oportet, quia verò ex ante comprobatis perspi-  
 cuum, subinfeudatum superioris vasallum non esse, consequens  
 est nec eum ad servitia obligari, cum sublato sive Remoto princi-  
 pali, omnia quæ ex illo sequuntur, tollantur, quam sententiam  
 etiam præter Kohlium communi calculo approbatam esse asserit  
*Ros. c. 8. concl. 10.*

## XLIII.

Pro Restrictione tamen ibid. notandum esse dicit id. Ros.  
 quòd si Dominus immediatus superiori servitia præstare neque-  
 at, vel à superiori admonitus, officio suo defuerit, ibi licet nullam  
 actionem habeat personalem, quâ ipsum ad serviendum urgeat,  
 subtractione tamen feudi, & sic rei suæ incumbendo ipsum adi-  
 gere, eoque in subsidium servitia consequi posse, non aliter ac  
 contra debitoris debitorem executio fieri dicatur *l. 20. ff. de Acquir.*  
*vel A. H. Coler. de Process. execut. p. 2. c. 3. n. 132.* II. Limitat non pro-  
 cedere eo in casu, si Dominus Mediatum Princeps territorii fue-  
 rit, quamvis enim aliàs subvasallus in concursu utriusque, Do-  
 mino immediato, cui juramento fidelitatis obstrictus, potius ser-  
 vire teneatur, cum quotiescunque circa idem duo incompatibi-  
 lia concurrunt, id quod potius alteri præferri debeat *l. 10. ff. de stat.*  
*Hom. l. 3. ff. de iurisd. omn. iudic.* Neque hoc casu vasallus Domino  
 imme-



immediato contra Mediatum auxilium præstans, feudo privati possit *c. 1. 2. F. 55. Schrad. p. 6. c. 6. n. 59.* aliud tamen in Domino Mediato qui simul territorii Princeps, dicendum, cui pro salute publica militanti præ altero succurri debeat. *Schrad. d. l. quod etiam eò quidam extendunt, ut etiam si adversus Dominum immediatum bellum moveat, ipsi assistere teneatur Molin. in Consuet. Paris. l. 1. §. 1. gloss. 6. in verb. Mouane de luy. n. 12.* Subijciens, vasallum eò ad regium exercitum, veluti ad augustius tribunal vocari, dum omnes subditi & vasalli magis sint clientes & homines Regis, quam cujusvis alterius etiam proprii Domini *Bodin. de Reip. l. 1. c. 8. n. 66.* De aliis quoque limitationibus huc spectantibus differendi campus esset, sed cum illum intrare instituto arceamur, sæpius quoque laudatus. Kohl. pleno cornu distinctam limitationibus materiam explanarit, eò remittendum duxi laudabilius, quam optimè congesta frustratim divellere.

## XLIV.

Porro ex priori assertione etiam hujus quæstionis decisæ veritas, quòd si subvasallus feudum alienet, laudemium non Domino primo, sed secundo, h. e. vasallo primo debeat? dependet, tum quia ratione primi Domini nulla fit mutatio, quippe cui vasallus subinfeudans obligatus manet; tum quia Domino laudemium solvendum, qualis est subvasallo non primus, sed secundus *Molin. ad Consuet. Par. §. 43. gloss. 1. n. 177. Freccia l. 2. §. Tertia aut. n. 4. Franzk. de laudem. c. 14. n. 52. & c. 7. n. 123.*

## XLV.

An verò ex eodem principio & hæc controversia, num subvasallus feudum alienare volens Domini superioris consensum adhibere teneatur? dependeat & resolvi debeat? non est expediti juris? Magni enim Nominis authores in diversas factiones abeunt, sic Affirmativam simpliciter præferre videntur. *Myns. 1. O. 62 Clar. in §. feudum quest. 32. n. ult. Ros. 9. concl. 36.* alique quos citat *Fachin. 7. contr. 53.* ex ista ratione, quia is consentire debeat, qui habet dominium directum *2. F. 55.* Negativam verò sententiam non minori numero propugnata reperiri licet, apud eund. *Fachin. d. l. Menoch. l. 3. pres. 102. Hartm. Pist. l. 2. quest. 45.* hoc fundamento præter alia præcipuè subnixam, quòd omne jus quod subinfeudatus habeat. id à subinfeudante & non superiori Domino acci.



accipiat, indeque non Mediatum sed immediatum consensus sufficiat, cui subscribit quoque Kohl in suo tract. c. 4. n. 46. Alii denique utriusque consensum requiri, contendunt Frecc. de subf. l. 2. art. 1. n. 2. & 3. Sonfbeck. p. 12. n. 91. Menoch. conf. 226 n. 172. Bocer. de mod. amitt. feud. d. tr. 5. c. 2. n. 49. G. A. 9. th. 4. E. Quorum sententia & ego ad stipulandum existimo, præter alias hac ratione adductus, quod vasallus subinvestiens alienare volens ipsemet Domini sui consensum requirere tenetur i. F. 5. in fin. 21. §. si quis mil. 13. 18. 2. F. 38. 44. ideoque eam facultatem quam ipsemet destitutus, subvasallo, solus conferre eò magis prohibetur. Nec impedit quòd hic causam à subinfeudante habeat, & causa propinqua magis operetur, quam remota, certum enim est, ultra id, quod ei per causam remotam infusum & attributum, eam operari neutiquam posse. Vulzeius l. F. 10. n. 54. Quamvis verò Finckelth. disp. 9. contr. 4. aliis rationibus, & imprimis distinctione, inter primariam & secundariam obligationem nitatur, cum verò ea totam hanc rem extricare non videatur, ideoque in aliis eam salvam relicta, potius Schrader. in p. 8. c. 2. n. 5. relata opinio hic amplectanda venit, quòd quoad obligationes personales, respicientes nimirum Iuramentum fidelitatis, servitia & similia, subinvestitus Domini vasallus non dicatur, excepto eo, quòd ipse obligatus nihilominus maneat Dominum Domini sui non offendere, §. illud quoque 2. F. 55. Quoad alias verò, quæ magis feudum ipsum quam personam vasalli concernant, ut v. c. alienatio, etiam subvasallus Domini senioris sit vasallus, & consequenter feudum citra illius consensum alienare nequeat.

## XLVI.

Licet verò jura, quibus vasallus Domino obstrictus non exigua, attamen ut vasallagium subjectionem non importat c. Pastoralis de sent. & re indic. Carpzov. l. P. S. p. 3. const. 28. def. 19. ita nec subinfeudatio. Quod quidem circa Religionem in Instrumento Pacis facta mentio comprobare videtur art. V. §. 14. ibi: A sola qualitate feudali vel subfeudali, sive à Regno Bohemiarum sive ab Electoribus, Principibus & statibus Imperii, sive aliunde procedant, jus Reformandi non dependeat, sed feuda ista & subfeuda, nec non vasalli, subditi & bona Ecclesiastica, in causis Religionis & quicquid juris Dominus Feudi prætendat, introduxerit, aut

D

sibi





sibi arrogarit, ex statu anni 1624. i. Jan. perpetuò censeantur, quæ  
vel judicialiter, vel extrajudicialiter innovata fuerint, tollantur,  
& in pristinum statum restituantur.

## XLVII.

Pariter uti constat in feudo Dominum vasallo mutua  
quoque debere fidelitatem, unde Germanicum illud πολυθευαλλι-  
τον enatum, getrewer Herr / getrewer Knecht / & ut Feudista loqui-  
tur c. 1. de form. fidel. 2. F. 6. Dominus in omnibus vicem fidei suo  
reddere debet, quòd si non fecerit, meritò censeatur maledictus,  
cujus intuitu quoque Dominus dicitur vasallum habere in con-  
jugem c. un. in pr. de not. feud. 2. F. 58. ita hæc etiam in subinfeudan-  
te procedunt, ut eandem subvasallo præstare debeat fide-  
litatem.

## XLVIII.

Forum  
Compe-  
tens.

Quod forum seu iudicem attinet, sciendum, subvasallum, ra-  
tione subfeudi coram Domino immediato conveniri. 2. F. 55. §.  
Præterea. cap. ex transmissa c. verum. de foro compet. Frecc. de author.  
& potest. Baron. l. 2. aut. 7. Aded ut Dominus non possit nec avo-  
cando, nec inhibendo, nec assessorem vel consiliarium, cujus con-  
silio iudicat adjungendo, cognitionem Domini immediati im-  
pedire, siue ille Dominus feudi, siue ordinarius loci superior sit.  
Ros. c. 12. concl. 1. n. 20 Sixtin. de Regal. l. 1. c. 8. n. 44. Generaliter enim  
constitutum, eum in causis feudalibus inter vasallos esse iudicem  
qui immediatus feudi controversi Dominus est. Bald. inc. caterum  
X. de iudic. Clar. in §. feudum quest. 90. n. 11. Vult. l. 2. c. 2. n. 11. quia cau-  
sa immediata & proxima efficacior est & plus operatur, quàm re-  
mota 60. §. 1. ff. pro soc. l. 57. in f. ff. locat. ita ut etiam si controversia  
moveatur, de subfeudis Imperii Regalibus, cognoscendi tamen  
de super potestas non Imperatori, sed immediato competeret.  
Grav. ad Gail. p. 1. concl. 29. Reink. l. 1. cl. 4. c. 19. n. 45. & seq.

## XLIX.

Affinia.

Supereff ut paucissimis Affinia quædam videamus, ut sunt  
sub Emphiteusis, jus sublocandi, & refutatio, quæ jura commodè  
quidem hic comparari possent, in quibus cum subinfeudatione  
convenient & discrepent, verùm ne instituti rationem tractatio  
excedat, breviter tantum convenientiam indigitabo, & quidem  
subemphiteusin quod attinet, quemadmodum aliàs argumen-  
tatio.



ratio ab emphiteusi ad feudum *Cothm. resp. 38. n. 123. vol. 1. Ros. c. 1. concl. 10. n. 5.* & rursus à feudo ad emphiteusin procedit, præsertim ubi par utrobique est ratio *Myns. dec. 8. resp. 78. n. 5. Mant. de tacit. & ambig. convent. l. 25. tit. 4. n. 12.* vel juri scripto contrarium non decisum, *Tusch. pract. concl. tom. 3. Lit. F. c. 124. n. 13. & seq. Kohl. de serv. feud. p. 4. n. 84. Bursat. conf. 56. n. 8.* Ita etiam à subemphiteusi ad subfeudum & vice versa à subfeudo ad subemphiteusin, contrario in jure de alterutro non deciso, atque ex paritate rationis argumentari non inhibitur. Quod præter Feudistas in præludiis, & *Eberhard. in loc. legal. declarat Barbos. in commun. loco. 42. n. 2.* unde sicuti vasallus potest feudum suum alteri infeudare: Ita & res Emphiteutica ab Emphiteuta, etiam Domino ignorante & irrequisito alteri in feudum concedi potest, ut tradit *Schrad. p. 3. c. 2. n. 5.* & subemphiteutari *Franzk. de laud. c. 14. n. 49.* Et sicuti subfeudum revera feudum est, omnesq; qualitates veri feudi habet, ratione vasalli primi subinfeudantis, ita & subemphiteusis revera est emphiteusis, nec præter nominis sonum quicquam ab ea differt. *Franzk. de laudem. c. 11. n. 27.*

## L.

Ad Affinia quoque referri potest, jus sublocandi, quod analogiam quandam cum subinfeudatione habere videtur, sicut enim subfeudum à vasallo alteri æquè idoneo, & sub quibusdam conditionibus concedi potest, ita & conductor alteri æquè idoneo, rem locatam ad eundem usum locare potest: cum nulla in locatione sit domini translatio, *l. 39. ff. locat.*, nulla possessionis alienatio *l. 10. §. 1. ff. & A. vel A. P.* Unde etiam vasallo, rem in feudum concessam alteri, modò non fraudulenter, locare licet *2. F. 9. §. donare.* Quantum ad refutationem, ea respectu vasalli vicina quoque esse videtur subinfeudationi, sicut enim in hac feudum sine consensu Domini in alium transferre, ita & in illa jus feudi quod habet, rennunciare, & invito quoq; Domino alteri cedere potest, *2. F. 14. 2. F. 38. & 44.* vel in rem conceptâ refutatione, quod refutare Feudista appellat *2. F. 46.* vel in favorem certarum personarum *Ros. c. 2. concl. 20.* Ita ut quamvis per stipulationem constitutum fuerit feudum, quæ ut accessoria naturam feudi non mutat, nihilominus, id refutare possit modò uti subinfeudatio non nisi certis conditionibus fieri debet, ita & hæc tempestivè, non in





Fraudem Domini perficiatur. *Bocer. de mod. Amitt. Feud. tract. 5. c. 2. n. 99. & seq. Obrecht. de iure F. l. 3. c. 11.*

## L I.

**Contraria** Et hæc hæctenus de subinfeudatione Constituenda & Constituta, cum verò etiam feuda ob rerum omnium in hac mundi machina volubilitatem, humanamq; generis fragilitatem, fatali suæ periodo & mutationi obnoxia esse, testis temporum historia demonstret, Idèò etiam subinfeudationis effectus non magis esse videtur perpetuus, quàm infeudationis, aut alius cuiusq; juris: Et quamvis hic latissimus excurrendi campus sese offerat, dum causæ feudum amittendi, quæ variæ solent constitui 2. F. 23. ob quas etiam per consequens subvasallus subfeudum amittit, veniunt recensendæ, cum verò illum pervagari instituti ratio non permittat, illarum causarum delineationem constrictim, extremis quasi digitis attingere lubet, ad duo saltem genera illas referendo, quòd nempe feudum amittatur vel propter culpam vel sine ea. *Rittersh. partit. Feud. l. 2. c. 5. q. 4. Carpzov. disp. feud. pen. th. 2. Sæv. disp. feud. II.*

## L II.

Inter illas quæ sine culpa contingunt, præcipua habetur mors subinfeudantis sine descendens, ubi potissimum illa quæstio, à qua totius rei cardo dependet, venit examinanda. Utrum & quatenus resolutò jure vasalli subinfeudantis, jus quoq; subvasalli extingatur. Et 1. liberos vasalli subfeudum concedentis quod attinet, illos subfeudum avocare non posse, sed unà cum feudo hæreditatem agnoscere 2. F. 45. & factum illius præstare teneri, patet ex text. 2. F. 9. vers. si autem ibi: si tamen sine hærede masculino decedebat. cui suffragatur text 1. F. 5. §. Rursus, ibi: & sine hærede decesserit. Quoad agnatos verò plerique distinguunt, inter feudum novum, quod penes subinfeudatum remaneat, & antiquum, quod ad agnatos devolvatur *Obrecht. l. 3. c. 10. n. 33.* Ita ut iis subinfeudatio illa minimè præjudicet, quo minus subfeudum veluti resolutò jure dantis avocare possint 1. F. 5. §. rursus 2. F. 73. 2. F. 13. §. Et si Clientulus *Hærm. Pistor. l. 2. quest. 44. n. 6. Ros. c. 9. concl. 48.* Eo modo, quo dicitur, si creditor rem pignori obligatam alii det pignori, primi Creditoris jure pignoris soluto, solutum quoque intelligi in pignore jus secundi Creditoris l. 1. C. si pign. pignor. dat. si d. *Bocer. de mod. amitt. feud. d. tr. c. 2.*

## L III.



Quod ampliat Kohl. in *d. tr. c. 5. n. 11.* ut licet longissimo tempore à subvasallo fuerit possessum, nihilominus agnati, avocare possint, 2. F. 83. tum ex ea ratione, quòd vasallus subinfeudando, illorù conditione deteriore reddere non potuerit §. è contrario 2. F. 3. adeò ut nulla valeret alienatio vel dispositio, facta per vasallum in præjudicium agnati 1. F. 8. §. hoc quoque etiam si Domini consensus accesserit 2. F. 39. quia ii non tam in locum ultimi possessoris, quàm primi investiti succedant, nec tam personæ, quàm beneficii & feudi successio fieri censeatur 2. F. 11. *Clar. in §. feudum quest. 32.* jam verò iniquum, in bonis à majoribus profectis præjudicium per alterum inferri. *arg. l. 3. ibi: quæ verò non à patre, sed à genere, à Civitate & rerum natura tribuerentur, ea manere eis incolumbia ff. de interd. & Releg. l. 22. §. 1. in fin. ibi: Non oportet admitti fidei commissum. quia hic non iudicio eius & c. ff. de adopt. Reink. de Reg. Secul. & Eccl. l. 1. cl. 4. c. 17.* tum etiam quòd nullum præscriptio locum obtineat contra eum qui agere nequeat *l. 1. in fin. C. de Annal. Except. l. ult. §. in autem C. commun. legat. l. in rem C. de iur. dot.* Quam sententiam frequentioribus receptam, & tam veterum quàm recentiorum calculis approbatam esse dicit *Ros. c. 9. concl. 4. §. 3.*

## XLIV.

Limitationes verò nonnulli addunt, quòd subinfeudatio post obitum subinfeudantis, tum etiam contra agnatos subsistat, si feudum sit hæreditarium, vel subinfeudatio facta sit de rebus infeudari solitis, quam limitationem uberius declarans *Camerar. in cap. Imperial. 2. F. 55.* distinguit inter ipsum feudum vasallo concessum, & res feudo subjectas subinfeudari solitas, aliud igitur esse dicit, jus proprium residens in persona subinfeudantis, quod alienari prohibitum sit, aliud de jure, quod non in sua persona resideat, sed in persona vasalli mortui, ut concedi solita concedere, quo casu cum quis gerat actum ad officium ejus pertinentem, ut solita subinfeudet, jus semel translatum perpetuò firmum manere, vel denique limitari dicunt, si agnati fiant ejus hæredes, qui subfeudum concessit *Ros. d. c. concl. 69.* ex eo quod hæres rem alienatam revocans, exceptione doli mali possit repelli *l. 14. C. de R. V. l. 5. C. de Reb. alien. non alien.*

D. 3.

XLV.



Præter has verò limitationes adductas, Vulteijs jus agnatorum in tantum non extendi debere dicit, ut nihil in eorum præjudicium fieri possit à possessore vasallo, aliàs etiam ob delictum vasalli, feudum non ad Dominum sed agnatos semper fore reversurum, cuius tamen contrarium liqueat ex 2. F. 37. in fin. & 2. F. 24. in fin. Et ita consuetudine illud servari testatur part. 3. conf. 20. n. 54. ut agnati etiam post mortem subinfeudantis feudum liberè revocare non possint, cui suffragantur Ros. c. 11. concl. 5. n. 3. & concl. 9. n. 8. Fach. 7. contr. 22. Berlich. p. 3. concl. 37. n. 25. G. A. disp. feud. 12. th. 1. Gail. l. 2. de P. P. c. 13. n. 10. veruntamen missà hac opinione, à receptiori Dd. asserto, quod hac ratione agnatis præjudicari non possit, non recedendum esse autumo; & hæc quoque sententia vel solà æquitatis ratione nititur, ut maximè forsan nullo textu expresso probari possit; fatendum siquidem, per quam iniquum esse, ut is qui ne consentiente quidem Domino præjudicare mihi potest, delicto suo mihi noceat, & jus sine facto ipsius quæsitum, auferat l. 22. C. de pæn. l. 4. C. ad L. Jul. de adult. l. 55. & ult. ff. fideic. lib. & quamvis priori sententiæ inhærentes, tela, quibus destructum eunt hanc nostram; desumant ex antea all. txx. vereor tamen ego, ne minus feliciter pugnent, fortiori victi armaturâ, quam, tum æquitas, tum commoda eorum text. interpretatio subministrat, licet enim ibi dicatur, feudum vasallo delinquente non ad agnatos, sed ad Dominum pertinere, non tamen necessariò inde infertur, agnatorum jus in feudo plane esse extinctum, sed quòd ita revertatur, ut non diutiùs apud eundem remaneat, quam vasallus qui deliquit, ejusq; liberi masculi superstites sint, iis verò, vasallo defuncto, successoribus agnatis, quibus, ut ex alijs text. & ipsa natura feudalis successionis constat, factum vasalli possessoris nocere non potest 1. F. 8. §. contrario, 2. F. 39. & 45. restituendū sit, Hartm. Pist. l. 2. quest. 15. per tot. Obrecht. l. 2. c. 9. n. 108. & seqq. Suevus disp. feud. 11. Carpzov. p. 3. c. 27. def. 6. 8. Struv. synt. agm. iur. feud. c. 15.

## LVI.

Quòd si liberi etiam & agnati defecerint, sicuti feudum totum Domino aperitur, ita subfeudum quoque ad eundem redit. Besold. p. 3. conf. 108. Ros. c. 9. concl. 49. n. 1. Si tamen vasallus à Domino



mino seniore feudum recognoscere velit, ipsique servire, an hic nolens volens subinfeudatum vasallum habere teneatur? acriter controvertitur? Affirmativa communiter videtur approbata: teste *Myns. l. 1. c. 62. Ros. c. 9. concl. 49. Bocer. de mod. amitt. Feud. tr. 5. c. 2. Obrecht. l. 3. c. 10. Fach. l. 7. c. 52.* aliisque ab Anton. ad Kohl. recensitis: In contrarium verò alii abeunt. *Finckelth. diss. 9. contr. 4. Hartm. Pist. l. 2. quest. 44. Kohl. c. 5. n. 51. nitentes tx. 1. F. 4. §. ult. exindeque desumptis rationibus à Pistor. d. l. adductis.* Hique cum *tx. 2. F. 9. pr. vers. Si autem:* non exiguam illorum sententiæ difficultatem parere animadvertant, ideò *Hart. Pist. d. quest. 44. n. 10. & seqq.* illum locum accipiendum esse putat, vel de Domino subvasallum recognoscente, vel de casu quo vasallus culpâ suâ feudum amisit, quem sequitur etiam *Lyndeman Exerc. feud. 3. c. 8.* verum cum hæc interpretationes *Kohlio* minus arrideant, is gl. & *Afflicti* intellectum potius admittit, dictum vers. ad veterem consuetudinē, [quæ ante prohibitam à *Lothario & Friderico Imperatoribus* alienationem fuit, restringentis, quem *Niell. quoque* probat, *diss. feud. 7. th. 8.*

LVII.

Quantum verò huic solutioni sit tribuendum, latius ostendit *Ros. d. concl. 49.* ubi nullam correctionem exinde evinci posse dicit, quòd ea præsumi non debeat *l. 27. C. de rest. am.* sed ea semper capienda sit interpretatio, ut jurium correctio evitetur, nec prior aliqua lex per novam mutata intelligatur, nisi expressè & nominatim illud significetur *l. 32. C. de Appell. Boc. de invest. feud. c. 4. n. 63.* cum verò in istis *Impp. Constit.* subinfeudatio in suo vigore fuerit relicta, rationem quo minus etiam hoc casu subvasallus feudum amittat, eò clarius apparere, quod sc. stante permisâ subinfeudatione, ejusque requisitis observatis, Dominus etiam directus in illam consentire præsumatur. Additque, argumentum à verbis illis præteritis desumptum, correctionis præsumptionem nullatenus adjuvare, cum eo loquendi modo *Feudista*, quod olim quidem idem jus in usu fuerit, hodie tamen illud non minus obtineret, indigitare voluerit, & si hunc *d. text.* intellectū sinistrū quis existimet, ad alias similes loquendi formulas ibidem positas provocari posse. Quibus interpretandi rationibus & ego motus hæctenus priori loco relatæ sententiæ subscribendum censeo.

LVIII.





Si autem subvasallus culpam aliquam, quâ feudum amitti & ad Dominum devolvi solet, commiserit, vel etiam absq; consensu Domini utriusque feudum alienaverit, per ea, quæ tradit *Ros. c. 9. concl. 32. n. 18. Zas. p. 9. n. 34. Menoch. l. 3. pres. 102. n. 10.* subfeudum illud non Domino superiori, sed immediato, qui subinfeudavit, aperitur per *text. 2. F. 55. in fin. Schenk. n. 1. nec refert, delictum illud contra superiorem seu mediatum Dominum commissum fuisse, quia quamvis offensus iste feudum non consequatur, loco injuriæ tamen eam sufficere putat vindictam, si vasallus feudo privetur, idque ad Dominum immediatum devolvatur* *Sonsbec. p. 13. n. 41.* Et hæc quoad subinfeudatum Dd. procedere dicunt, ad subinfeudantem verò quod attineat, aliud observandum, & hoc in casu quoq; *Bocer. d. tr. de mod. amitt. feud. n. 88.* distinguit, an delictum in Dominum, vel alium fuerit commissum, illo casu etiam vasallo id adimi, hoc verò non: verius tamen alii arbitrantur, ut, quamvis pro qualitate delicti feudum revertatur, si tamen subvasallus nihilominus feudum à Domino vel agnatis recognoscere, eisque servitia exhibere velit, illos feudum avocare non posse. *Rosenth. c. 9. concl. 49.*

## LIX.

Et hoc idem quoque in subvasalli vasallo, sive vasallo in tertio aut etiam ulteriori gradu obtinere videtur. Nam si iste tertio gradu vasallus, majorem Dominum offendit, tunc primus vasallus requiret secundum, s. suum immediatum vasallum, ut is rursus suum seu tertium requirat, ut satisfiat majori Domino, & si aliquis ex intermediis requirere suum vasallum cessaret, ille amittet feudum, quod ad immediatum Dominum qui requisivit revertetur *arg. d. 2. F. 55. §. fin. Sonsbec. p. 13. n. 42.*

## LX.

Cæterum sunt & alia subinfeudationi repugnantia, quæ partim semel factam dissolvunt, partim ineundam impediunt, quæ latius tractari possent, verum quia temporis angustia, longiores trahere moras vix patitur, ideo pro instituti ratione materiã hanc levi penicillo solum breviter adumbrasse sufficiat. Interim benevolam Lectorẽ theses hæc, æquo animo accepturum, & si quæ minus accuratè in iis posita sunt, vel temporis angustia vel ingenii tenuitati, & ætati juvenili pro benevolentia condonaturum confido. Deo T. O. M. devotas ago gratias, quòd Divina sua Clementia hanc qualem cunq; dissertationem conscribenti, benignè adesse, atque mentem dirigere voluerit.

F I N I S.



Strassburg, Diss., 1659-60

ULB Halle

3

005 607 590



TA → OL

1077









362.

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS

DE

SVBINFEV-  
DATIONE,

QUAM

SVB PRÆSIDIO

SACROSANCTÆ ET INDIVIDUÆ  
TRINITATIS

*Ex Decreto & Autoritate*

MAGNIFICI, NOBILISSIMI, ET  
AMPLISSIMI ICTORUM COL-  
LEGII IN INCLYTA ARGENTORA-  
TENSIVM UNIVERSITATE.

Pro Consequendis summis in utroq; Jure  
honoribus insigniis & Privilegiis  
DOCTORALIBUS.

*Publico & solenni Examini submittit*

SIGISMUNDUS HORLACHER,  
SUEVO-HALLENSIS.

*Ad diem 17. Mensis Octobr.*

IN AUDITORIO MAIORI.



ARGENTORATI,

Typis Hæred. SEBASTIAN-NICOLAI HETSTEDT,

ANNO clō Ioclix,

1659, 10.

~~1659, 10.~~



fui  
umt  
id,  
VA  
uras  
n hoc  
m fe  
ibi n  
es Th  
e Th  
Muf  
votis  
bifce  
roseq  
ti Fil  
de Fa  
t spes  
Gau  
adfit  
nunc  
is pro  
quæfo  
cce Fa

